DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXXI. DECEMBRIS,

M. CAROLO BOVVARD, Primario Regis Ludouici XIII. Medico, Præside.

An partium δυσπάθεια sit potior ἀπάθεια?

1031a

FIGMENTVM hominis quale sit & qui fœlici ac diuturnâ vitâ frui possunt, & quæ media ad vtramque faciunt, & quæ vtriusque designant testimonia multi nesciunt, ortus, occasus & vicissitudines sublunarium perpetuas agnoscunt omnes; causas vniuersales permulti, medias Philosophi, paucissimi particulares, vel potius Deus solus; ad generationem imperfectè mixtorum minor naturæ requiritur apparatus, ad ortum perfectorum maior, ad productionem corporis humani maximus: perhibetur aurum præstantissimum firmitate & puritate, quidni ergo marmor, & saxum? præstantia rerum est in subiecti nobilitate, actionum & vsus vtilitate æstimanda: vegetantia quouis auro præstantiora sunt, vegetantibus sensitiua, sentientibus humana corpora, corpore anima, animâ Deus omnipotens, à quo vno, & ad quem vnum omnia: qui primus author & motor per calidum innatum velut per instrumentum secundarium, agitat & mouet simplicia prima corpora, vt per qualitates suas actiuas & passiuas materiæ suæ insitas diuersas generationum & corruptionum conuersiones promoueat, & pro variâ agendi, patiendi, & resistendi virtute & infirmitate mutet, ædificet, perficiat corpora varia, partes, facultates, humores, spiritus, ad actiones, vsus, & vitam fœlicem & longam, aut conuertat ad destructionem & interitum.

OPTIMA corporis constitutio fœlicem & longam sustinet vitam, cum causarum internarum & externarum omnium concursus adest, calor scilicet ipse innatus cælestis primarius opifex copiosus, substantia seminalis humida, aërea, pinguis, crassiuscula, spiritibus multis perfusa, à partibus omnibus vtriusque parentis, quarum idæas refert, delapsa, à testibus habens vt sit prolifica, spumans, tumens, turgens, & vrgens vt in locos muliebres affatim proijciatur; quæ mox vteri virtute suscitata in domicilij sui fabricam primum incumbit, ac simul partium seminalium structuram aggreditur, cui accedente statim alterius principij sanguinis menstrui puriore rore velut cæmentô, diuersas spermaticas & sanguineas partes similares ordine adimplet & perficit, inæquales in qualitatum temperie & materiæ consistentiâ cuique propriâ, & organicas in magnitudine, numero, situ & conformatione conuenienti, ad actiones communes & priuatas quasque sanitatis edendas. In quibus vt totius corporis σύμμελη fœliciter & diu perseueret, sese partes mutuis fouent & sustinent subsidiis, vt quotidiana quæ ab ipsis exordiis vitæ assiduè patiuntur detrimenta triplicis substantiæ spirituosæ, humidæ, & solidæ reparent, per nutrimenta bonitate substantiæ deperditæ imparia; vnde nascitur ab iisdem causis interitus à quibus orta est vitæ necessitas: delectantur enim simul qualitates contrariæ societate ad generationem, sed gaudent & contendunt singulæ seorsim ad antagonistarum destructionem, sicque pro maiori aut minori actione aut resistentiâ celeriùs, aut tardiùs deficiunt.

TEMPERAMENTVM optimum ἄκρον vt omne bonum vnum est, firmum, δυσαλλοίωτον & δυσπαθὲς, quod vt τὸ ἀκριβὲς non est imaginarium & animo solo concipiendum vt regula sola ad quam cætera conferantur, sed vtrumque cum latitudine non parua in arte re ipsa constituendum. Sua est enim sanitatis morborum, symptomatum, causarum, facultatum, actionum, partium, vsus conseruandi & curandi, diętæ & remediorum, εὐεξίας & ἀκριβείας latitudo; quæ assiduâ totius vitæ immutatione, inæqualitate actionum, & communi ad sensum plus minus laudabili sanorum tutelâ, & ægrorum curatione in genere & in particulari obseruatur. Sic sua est balneis εὐκρασίας latitudo quæ iuuet sanos, & ægros sanet, sua cittharis eadem ἁρμονίας quæ aures exhilaret: licet ergo latitudo hæc sit extra medium exactum, manet tamen re ipsâ intra fines εὐκρασίας & ἀκριβείας quandiu manent inculpatæ facultates & actiones ne in ἀπαθείᾳ & morbosa sanitate versari, & assiduò remediorum vsu indigere diceremur.

IN quo ergo est (quæres) istud τὸ ἄκρον temperamentum δυσπαθὲς? in eo qui totâ suâ vitâ optimè se habet ad omnia, qui sponte & naturâ suâ quæ sibi sunt proficua peragit, fugit quæ noxia, nulli interno incursui, nulli externo occursui cedit, nullis patet nec ab vllis patitur iniuriis, sed iis fortiter obsistit in medio excessus omnis extremorum positus, cuius est corpus pulchrum, procerum, firmiter compactum, εὐεκτικὸν, optimè conformatum, non gracile, non obæsum, non hirsutum, non glabrum, venis amplis textum non obscuris, corporis & animi fortitudine prestantissimum, causis morbificis inoffensum, immoderationis venereorum & intemperantiæ omnis expers, tantum appetens, quantum coquens, nullus in eo preualet excessus, nec frigus calori, nec siccitas humiditati, nec durities mollitiei; sed munia omnia ἀμέμπτου sanitatis peragit: sibi est & aliis regula & mensura certa, semper æqualis, sibi Medicus & medicina sufficiens: quale alit Asia, vbi nullæ inæqualitates cœli, & soli, nullæ mutationes insignes & crebræ aëris & tępestatum, vbi humorum & morum ἀπάθεια, nulla δυσπαθείας nulla συμπαθείας nulla orgasmorũ humorum & dolorum querela, sed sola qualitatum ęqualitas & longæ ac fœlicis vitæ index δυσπάθεια.

VT est vnum bonum, sic sunt mala multa; vt magna pars effectuum pendet à dispositione subiectorum sic ab intemperatis multis, intemperata multa, ab infirmis infirma, εὐαλλοίωτα ἄλλως, ὀλιγοχρόνια, ἀπάθεια nempè à congeneribus causis multis internis, & plurimis naturæ, ætati, sexui, & aliis externis; habent enim infirmitates omnes perpetuas cùm causis maleficis rixas & dissidia, quæ spem vetant inchoare longam; quales puberes, iuuenes, senes, & quotquot sunt intemperati, parcioris caloris natiui & ineficacioris, spirituum pauciorum & crassiorum, aquosioris humidi primigenij, officio, professioni, & conditioni vitæ liberæ aut seruilis mancipati, aut variis anni temporum & aëris mutationum maiorum, & crebriorum cæli aspectuum, soli situum, ventorum, aquarum, alimentorum insalubrium causis excipiendis paratiores; sic mulieres viris totâ naturâ infirmiores concipiendis in vtero & ab vtero maleficiis opportuniores, damnis istis familiaribus facilius afficiuntur, patiuntur, corripiuntur, corrumpuntur & concidunt; sic dispares Asiaticis Europæi, & nos maxime Celtæ εὐκρασίας ne ὄναρ quidem obseruamus, vnde casibus innumeris dolorum, lęsionum, sanitatis & vitæ pręcipitationum per ἀπάθειαν miserè obiici mur.

Ergo δυσπάθεια partium potior ἀπάθεια.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus Perreau.
M. Ioannes Armand. de Mauuilain.
M. Bertinus Dieuxiuoye.
M. Stephanus Bachot.
M. Ioannes-Baptista Moreau, Prof. Reg.
M. Eusebius Renaudot.
M. Antonius Charpentier.
M. Franciscus Pijart.
M. Ioannes de Bourges. Decanus.



Proponebat Lutetiæ CLAVDIVS DE FRADES, Parisinus, A. R. S. H. M. DC. LIV.